

ZKOUŠKA Z LATINY ZK+
četba k domácí přípravě
(ZS 2022/23)

Livius: Ab urbe condita libri XXII, 46–47 (De pugna ad Cannas)

[46] Hannibal luce prima Baliaribus leuique alia armatura praemissa transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita in acie locabat, Gallos Hispanosque equites prope ripam laeuo in cornu aduersus Romanum equitatum; dextrum cornu Numidis equitibus datum media acie peditibus firmata ita ut Afrorum utraque cornua essent, interponerentur his medii Galli atque Hispani. Afros Romanam [magna ex parte] crederes aciem; ita armati erant armis et ad Trebiam ceterum magna ex parte ad Trasumennum captis. Gallis Hispanisque scuta eiusdem formae fere erant, dispaes ac dissimiles gladii, Gallis praelongi ac sine mucronibus, Hispano, punctim magis quam caesim adueto petere hostem, breuitate habiles et cum mucronibus. Ante alios habitus gentium harum cum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat: Galli super umbilicum erant nudi: Hispani linteis praetextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant. Numerus omnium peditum qui tum stetero in acie milium fuit quadraginta, decem equitum. Duces cornibus praeerant sinistro Hasdrubal, dextro Maharbal; mediam aciem Hannibal ipse cum fratre Magone tenuit. Sol seu de industria ita locatis seu quod forte ita stetero peropportune utrique parti obliquus erat Romanis in meridiem, Poenis in septentrionem uersis; uentus—Volturnum regionis incolae uocant—aduersus Romanis coortus multo puluere in ipsa ora uoluendo prospectum ademit.

[47] Clamore sublato procursum ab auxiliis et pugna leuibus primum armis commissa; deinde equitum Gallorum Hispanorumque laeuum cornu cum dextro Romano concurrat... Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna, primo et uiribus et animis par dum constabant ordines Gallis Hispanisque; tandem Romani, diu ac saepe conisi, aequa fronte acieque densa impulere hostium cuneum nimis tenuem eoque parum ualidum, a cetera prominentem acie. Impulsis deinde ac trepide referentibus pedem institere ac tenore uno per praeceps pauore fugientium agmen in mediam primum aciem inlati, postremo nullo resistente ad subsidia Afrorum peruenerunt, qui utrimque reductis alis constiterant media, qua Galli Hispanique steterant, aliquantum prominente acie. Qui cuneus ut pulsus aequauit frontem primum, deinde cedendo etiam sinum in medio dedit, Afri circa iam cornua fecerant inruentibusque incaute in medium Romanis circumdedere alas; mox cornua extendendo clausere et ab tergo hostes. Hinc Romani, defuncti nequiquam [de] proelio uno, omissis Gallis

Hispanisque, quorum terga ceciderant, [et] aduersus Afros integram pugnam ineunt, non tantum [in] eo iniquam quod inclusi aduersus circumfusos sed etiam quod fessi cum recentibus ac uegetis pugnabant.

C. Plinius Tacito suo s.

Petis, ut Tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago; nam video morti eius, si celebretur a Te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum Tuorum aeternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos vero, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et Tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam, quod iniungis.

Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum Kal. Septembres hora fere septima mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes – incertum procul intuentibus ex quo monte; Vesuvium fuisse postea cognitum est – oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. ...

Avunculus egrediebatur domo. Deducit quadriremes, ascendit ipse, multis laturus auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras enotaret. Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides; iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox gubernatori „Fortes,“ inquit „fortuna iuvat: Pomponianum pete!“

... Sed Tu nihil aliud quam de exitu eius scire voluisti. Finem ergo faciam. Unum adiciam: me scripsisse omnia, quibus interfueram et quae audieram (cum maxime vera memorantur). Tu potissima excerpes; aliud est enim epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

Vulgata, secundum Lucam 2,1– 20

¹factum est autem in diebus illis exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis ²haec descriptio prima facta est praeside Syriae Cyrino ³et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem ⁴ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David quae vocatur Bethleem eo quod esset de domo et familia David ⁵ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnate

⁶factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareret ⁷et peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio quia non erat eis locus in diversorio

⁸et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum ⁹et ecce angelus Domini stetit iuxta illos et claritas Dei circumfulsit illos et timuerunt timore magno ¹⁰et dixit illis angelus nolite timere ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo ¹¹quia natus est vobis hodie salvator qui est Christus Dominus in civitate David ¹²et hoc vobis signum invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio ¹³et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium ¹⁴gloria in altissimis Deo et in terra pax in hominibus bonae voluntatis

¹⁵et factum est ut discesserunt ab eis angeli in caelum pastores loquebantur ad invicem transeamus usque Bethleem et videamus hoc verbum quod factum est quod fecit Dominus et ostendit nobis ¹⁶et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio ¹⁷videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc ¹⁸et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos ¹⁹Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo ²⁰et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant sicut dictum est ad illos

Bula papeže Hadriána II. Gloria in altissimis

(post 14 . 2. 86 9, zkráceno a upraveno)

Hadrianus episcopus et servus Dei Rostislao et Sventopulco et Kocelo.

Gloria in altissimis Deo et in terra pax, in hominibus bona voluntas.

Audivimus, [...] quomodo expergefecit Dominus corda vestra, ut eum quaereretis, et monstravit vobis non solum fide, verum etiam bonis operibus oportere Deo servire [...].

Non enim tantum apud hunc sacerdotalem thronum rogastis doctorem, sed etiam apud pium imperatorem Michaellem. Et misit vobis beatum philosophum Constantinum cum fratre, cum nobis potestas deesset. Illi vero cum cognovissent ad apostolicam sedem pertinere vestras partes, contra canonem nihil fecerunt, sed ad nos venerunt, simul Sancti Clementis reliquias ferentes. Nos autem re considerata statuimus mittere Methodium [...] in partes vestras, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut vos edoceret (sicuti rogastis), interpretans libros in linguam vestram, per totum ecclesiasticum ordinem pleniter, etiam cum sancta missa, id est cum liturgia et baptismo, quemadmodum coepit philosophus Constantinus divina gratia et cum invocatione Sancti Clementis. [...] Hunc unum servate morem, ut in missa primo legant evangelium Romane, dein Slovenice, ut expleatur verbum Scripturae: *Quia laudabunt dominum omnes gentes*, atque alio loco: *Omnes loquentur linguis variis magnalia Dei, prout dedit illis sanctus spiritus respondere*.

Si quis vero ex congregatis apud vos doctoribus ausus fuerit vituperare libros linguae vestrae, sit excommunicatus, sed tantum in iudicium datus Ecclesiae, donec se correxerit. Isti enim sunt lupi, non autem oves, quos convenit a fructibus eorum cognoscere et cavere ab iis. Vos autem, filii carissimi, audite praecepta Dei, ut inveniamini veri adoratores Dei cum omnibus Sanctis, amen.

Vita Beate Agnetis

(Candor lucis eterne)

Cum autem pater eius clare memorie rex Ottakarus ex hac vita migrasset, mansit Agnes apud germanum suum, regni successorem, dominum inclitum Wenceslaum; et crescens per etatem corporis, crescebat amplius per affectum devocionis, de virtute proficiens in virtutem.
...

Sed quia tam luminosa lucerna sub modio latere non potuit, virtutum ac nominis eius fama eciam usque ad imperatorem pervenit. Qui sicut prius ad patrem, ita secundo ad fratrem virginis nuncios destinavit, multis promissionibus interpositis postulans, ut sororem suam eius coniugio non negaret. Sed virgo Cristi nulli se mortalium cuiuscumque status vel prominencie nupturam proposuit.

Et ut in suo proposito, quod deo inspirante conceperat, securius permaneret, nobili Cristi vicario, domino pape Gregorio nono, per nuncios suum occultum intentum patefecit. Qui felix antistes tam generose virginis devocioni congaudens, per eosdem nuncios ipsam graciosis litteris in domino confortavit, propositum eius sanctum confirmans.

At Cristi famula de hiis, que a summo pontifice receperat in responsis, multa spiritus consolacione repleta, statim propositum suum germano suo, domino regi Wenceslao, intrepide propalavit. Quo rex audito, non sine magna turbacione ad se, ut decuit, excusandum sororisque propositum detegendum imperatori nuncios destinavit.

Ad quorum legacionem imperator fertur taliter respondisse: „Si a quocumque homine nobis hec inuria illata fuisset, tante despeccionis obprobrium vindicare nullatenus cessaremus. Sed quia nobis maiorem dominum perelegit, hoc despectui nostro nequaquam ascribimus, cum instinctu divino istud factum esse credamus.“ Unde intencionem bonam virginis magnis extollens laudum preconiiis, preciosa ei munera et reliquias multas transmisit, hortans per litteras et inducens, ut quod salubriter cepit, feliciter consumaret.

Venceslaus Martyr

Venceslaus Martyr fuit dux Bohemie Cristianissimus hospitalis valde. ... Ex hiis mater eius adhuc pagana crudelissima gemens ait: „Quid facimus, quia hic filius meus, qui deberet esse rex noster, a Cristianis subversus est?“ Et propter hoc socrum eius Cristianissimam occidit. Hoc Venceslaus predixerat spiritu prophetico. Qui cum argueretur sepius a matre et Principibus de religione Cristi, abscondite legebat libros Fidei.

Cum autem factus esset vir, convocavit omnes viros suos et matrem et exprobavit incredulitatem eorum. Et vocato ad se Episcopo religioso Ratispone, dicit ei: „Pater meus fecit templum Deo et Beate Virgini. Ego autem unum, si consulitis, faciam sancto Vito.“ Episcopus respondit: „O fili, iam ante Deum factum est templum tuum.“ Fecit ergo templum beato Vito. ...

Tunc frater eius iunior Venceslaum consilio pessimorum invitavit ad convivium, ut occideret eum. Ubi quidam in aurem dicit ei: „Domine, fugite, quia iam estis occidendus.“ Respondit: „Non credo.“ Tamen raptu cithara alta voce dixit: „In nomine Beati Michaelis Archangeli bibamus calicem istum, ut inducat animas nostras in paradysum.“ Crastino mane eunti ad matutinam occurrit ei frater eius, cui dicit: „Heri bene nobis ministrasti, multa tibi sit gracia.“ Qui respondit: „Hodie sic ministrabo.“ Et percussit eum gladio in caput parvo vulnere, quia stupens percussit. Cui Beatus Venceslaus rapuit gladium, quia forcior fuit. Tunc ille clamat: „Ubi sunt mei?“ Qui mox eum multis vulneribus occiderunt et cum impetu intrantes civitatem Praginam amicos eius occiderunt et Sacerdotes disposuerunt secundum illud: „Percuciam pastorem et dispergam oves etc.“ Licet locus passionis eius sepius lavaretur, tamen iterum sanguis ibi apparebat. Homicidarum quidam a demoniis exagitati ulterius nusquam comparuerunt, alii latrando ut canes et stridentes dentibus sunt mortui, alii aridi et surdi usque ad mortem permanserunt. ...

Privilegium foundationis Universitatis Carolinae

Karolus Dei gracia Romanorum ... rex semper augustus et Boemie ... rex. Ad perpetuam rei memoriam.


Inter desiderabilia cordis nostri, et que cogitationi regali iugiter occurrunt, animi precipua reddimur anxietate solliciti, ... qualiter regnum nostrum Boemie (quod pre ceteris hereditariis aut eufortune adquisicionis honoribus et possessionibus prerogativa mentis affeccione complectimur), cuius exaltacionem omni, qua possumus, diligencia procurantes ipsius honori intendimus totis conatibus et saluti, sicut rerum victualium ad dispensacionem divini nominis natura profluente tripudiat, sic ad nostre provisionis edictum prudentum virorum copia nostris artificialiter temporibus decoretur; ut fideles nostri regnicole, qui scienciarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti, paratam in regno sibi mensam propinacionis inveniant...

Sane ut tam salubris et laudabilis animi paret concepcio fructus dignos, in nostra Pragensi metropolitana et amenissima civitate (quam terrene fertilitatis fecunditas et plenitudine rerum amenitas localis reddunt utiliter tanto negotio congruentem) instituendum, ordinandum et de novo creandum, consulta utique deliberacione previa, duximus studium generale; in quo siquidem studio doctores, magistri et scolares erunt in qualibet facultate, quibus bona magna promittimus; et eis, quos dignos viderimus, regalia donaria conferemus; omnes et singulos doctores, magistros et scolares in profecione et qualibet facultate, ac undecumque venerint, veniendo, morando et redeundo sub nostre maiestatis speciali protectione et salvagardia retinentes; firmam singulis fiduciam oblaturi, quod privilegia, immunitates et libertates omnes (quibus tam in Parisiensi, quam Bononiensi studiis doctores et scolares auctoritate regia uti et gaudere sunt soliti), omnibus et singulis illuc accedere volentibus, liberaliter impertimur et faciemus ab omnibus et singulis inviolabiter observari...

In quorum omnium testimonium et ad certitudinem pleniorum presentes fieri et bulla aurea typario nostre maiestatis impressa precepimus communiri...

Datum Prage anno domini milesimo trecentesimo quadragesimo octavo, indictione prima, VII Idus Aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

Auxilium: *duco, ere, xi, ctum* – zde: ~ *puto*; *regnicola, ae, m.* – obyvatel království; *salvagardia, ae, f.* – ochrana; *studium, ii, n.* – zde: univerzita; *tripudio, are, avi, atum* – dupat, skákat, tančit; *typarium, ii, n.* – pečeť



Reverendi patris Alberti Chanowsky è Societate Iesu

Vestigium Boëmiae Piae

seu

Res quaedam memoratu dignae, quae in Boëmia, praesertim in Districtu Prachensi et Pilsnensi, vel ab hominibus sunt piè erga Deum gestae, vel à Deo hominibus singulari favore aut etiam in poenam acciderunt

Notis illustratae et auctae à P. Ioanne Tanner eiusdem Societatis Sacerdote

Pragae, apud Nicolaum Hosino

Anno 1659

Caput II. Mariana

Anno 1620, cùm Maximilianus, Bavariae dux, et comes Buqvvoi exercitus Catholicos contra Pragam ducerent, invenerunt in civitate Strakonicensi imaginem Beatae Virginis Deiparae sculptam, a militibus haereticis pessimè tractatam ac vulneratam. Hanc pater Dominicus Ordinis Carmelitani, vir sanctitatis celeberrimae, tunc exercitum Catholicum comitatus, secum ad Album montem abstulit ad locum victoriae, quam ipse clarissimè prius (haud dubiè ex Reginae Caelorum patrocínio ac revelatione) palam praenunciavit. Inde imaginem illam Romam secum detulit templumque, in quo locaretur, fecit erigi, dictum: *Beatissimae Virginis de victoria Boëmica*.

Ad civitatem Przibram est templum Beatissimae Virginis in colle, qui vocatur *Mons Sanctus*. Cujus denominationis causa dicitur esse, quod cùm olim in illo colle patibulum et in alio remotiori à civitate templum aedificare disponent, materia futuri aedificii, templi, transferretur ad propinquiorem collem civitatis; id quod occulto quodam et miro modo fiebat. Et inde dicitur appellatus *Mons Sanctus*, quòd sibi eum Deus elegerit et sanctificaverit. Alii autem referunt equitem quendam cum adversariis congressum et ad certam mortem petitem, vix fugâ vitam salvâsse et cursu velocissimo equi tandem in praedicto monte constitisse et inde vocasse eum Sanctum Montem; et pro gratiarum actione illic Deo et Beatissimae Virgini sacellum exstruxisse. Imago ipsius non ita pridem fuerat depicta in ipsa aede sacra et litterae tantum initiales nominis et cognominis ipsius. In renovatione autem templi haec deleta sunt. Illic igitur nostro tempore erat vetus imago Beatissimae Virginis, quae forte dum haec civitas aliquando Catholica erat, miracula faciebat, sed tempore haereticorum sinè dubio cessârunt. Quo tempore etiam quidam eremita haereticus sacris imaginibus in pariete templi depictis oculos eruit.

§. LIX.

Vita Sancti Joannis Nepomuceni, Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, Decani Collegiatæ Ecclesiæ ad Omnes Sanctos in Arce Pragensi; ob arcanum Sacræ Confessionis servatum, in fluentem Muldavam abjecti, & merfi; qui Tutor & Patronus eorum habetur, qui infamiam timent, & de bono nómine amittendo periclitantur.
Ex libris editis, & Veteribus MM. SS.

CAPUT V.

Beati Joannis Nepomucensis mors, funeris celebritas; utrumque pluribus miraculis consignatum.

PAUCIS pòst diebus *B. Joannes Boleslaviam* ad antiquissimam totius *Bohemiæ* Divinæ Matris Effigiem à Sanctis Slaviciæ gentis Apostolis, *Cyrillo & Methodio* (ut multi suspicantur) ex Oriente allatam (quæ eo in loco magnâ Populi veneratione colitur) iter suscepit; ibi quàm liquido Pictatis, & amoris sentu *Cæli Reginam* (cui à prima ætate consecraverat sese, & in qua spes omnes suas habebat repositas) orârit, ut sibi paulò pòst morituro adesset, ut filium propitium redderet, etsi manuscripta nihil dicant, quisque ex *Joannis* in *DEI Matrem* amore, ex periculi magnitudine, ex vicinæ mortis horrore, tacere conjecturam potest. *Pragam* vespertinis horis *Boleslaviâ* revertentem *Joannem Wenceslaus Rex* tum fortè, ut erat otiosus Princeps, è fenestra prospectans, observat. Recurrunt extemplo furioso Principi omnes illæ tristes de *Regina* Coniuge imagines, dolebant acceptæ toties à *Beato Joanne* repulsæ, neque jam animum regere poterat; ergo non hominem, sed dæmonem spirans, mittit continuò qui *Joannem* accersant, neque multis, ut in præcipiti ira, usus est verbis: *audi*, inquit, *Sacerdos*, *moriendum tibi est*, nisi è vestigio jam hîc Coniugis meæ Confessionem, & quidquid unquam illa tibi confitens dixit, ordine exponas. *Furo DEUM* (quæ verba solennia, & usitata *Wenceslao* fuerunt) *Aquam bibes!* merfionem in flumine eâ voce *Cæsar* volebat intelligi. *Beatus Joannes* indignum ratus eâ de re toties obtundi, nullis verbis, sed toto capite sacrilegium averfatur. Vix signum dederat, jam Sanctissimum Virum validissimi Satellites circumstant, Rege clamante, atque inter manus in aliud cubile sublimem deportant. Vitatum populum significant vetusti Codices; nocte ad pontem, qui *Muldava* flumini impositus, *Pragenses Urbes* duas Veterem & Minorem, conjungit, deducitur, DEO que mortem suam ardentissimis precibus, & suspirijs commendans, in subiectum flumen ex ponte dejicitur, mergiturque, 16. Maij A. 1383.

Vysvětlivka:

znak f: tzv. dlouhé „s“; má stejnou platnost jako „s“ současné

Formula promotoris Facultatis Philosophicae Universitatis Carolinae Pragensis

Promotor:

Doctorandi honorati, Doctorandae honoratae,

examinibus, quae ad eorum, qui in philosophia doctoris nomen et honores consequi student, doctrinam explorandam lege constituta sunt, cum laude superatis, nos adiistis, ut vos eo nomine atque honore, quem appetivistis, in hoc sollemni consessu ornaremus.

Prius autem fides est danda, vos tales semper futuros, quales vos esse iubebit dignitas, quam obtinueritis, et quales vos fore speramus.

Spondebitis igitur:

Primum vos huius Universitatis, in qua philosophiae doctoris nomen assecuti eritis, piam perpetuo memoriam habituros eiusque res ac rationes, quoad poteritis, adiuturos; dein nomen illud, quod vobis tribuero, integrum ac incolume servaturos; postremo vos humanitatis studia impigro labore culturos et provecturos, non sordidi lucri causa nec ad vanam captandam gloriam, sed ut veritas propagetur et lux eius, qua salus humani generis continetur, clarius effulgeat.

Haec vos ex animi vestri sententia spondebitis ac pollicebimini?

Doctorandi (unus quisque doctorandus): Spondeo ac polliceor.

Promotor:

Itaque iam nihil impedit, quominus honorem, quem obtinere cupitis, vobis impertiamus. Ergo ego, promotor legitime constitutus, vos ex decreto facultatis meae philosophiae doctores creo, creatos renuntio omniaque philosophiae doctorum iura ac privilegia in vos confero. In eius rei fidem haec diplomata universitatis sigillo insignita vobis in manus trado.

Auxilium: vos tales ... futuros /esse/ = fore; fides – slib; rationes – prospěch; renuntiare – z moci úřední prohlásit; diploma, atis, n – listina